FRANCISCI MARIAE
ZANOTTI
CARMINA

EDITIO ALTERA

Priori

MULTO AUCTIOR.



BONONIAE

Typis Lælii a Vulpe Inſtituti Scientiarum Typographi.
1757.
Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

Ad Nobilem Virum & Patritium

COMITEM

GREGORIUM CASALIUM

Philoſophiæ Doctorem,
In Bononienſi Univerſitate Mechanicæ Lectorem Publicum,
Architecturæ Militaris in Scientiarum & Artium Inſtituto
Profeſſorem,
Ejuſdemque Inſtituti
Academicum Penſionarium Benedictinum
& Academicum Clementinum

JOANNES BAPTISTA ROBERTUS

E Societate Jeſu.

DUm gravi ſtomacho tumens minatur
Anglus impatiens, novoſque Gallus
Indos dum meditatur, æſtuatque
Dum Germania tota bellicoſa,
Tu nos, optime GREGORI eleganſque,
Non ſago metuende militari,
Aſt honore gravis togæ fluentis,
(Quam Sophia tuis ſuapte dextra
Aptat mane humeris) docere pergis
Nos ſubtiliter & pererudite,

Oppida ut jubet aggredi, & tueri,
Aggeres ſtruere, & locare caſtra,
Congregare acies, & explicare
Ferme bella gerens Matheſis ipſa.
Signis tu exprimis affabre politis,
Ex ligno, aut ſolido aere lævigato
Et refers oculis, manu, ac bacillo,
Omnia indigitanſque nuncupanſque,
Turres, mœnia, fornices, & arces,
Recurvos tumulos & angulatos,
Caſtella, & cameras cuniculoſas.
Gaudeo, eja age: ſed tamen ſevera
Deme tantulum ab occupatione,
Vaſa collige, & otium aucupatus
Ex iſto ſtrepitu tumultuoſo
Redi ad Caſtalios tuos receſſus,
Redi, & nectareo lepore plenus
Lude verſiculos tuos venuſtos,
Ut belle potes, antea ut ſolebas.
Verum hoc non ſatis eſt: tibi ſat haud eſt
Poetam eſſe bonum, tuum eſt juvare
Ceteros etiam bonos poetas,
Gratam rem facere & novem puellis,
Ut decet juvenem perelegantem,
Quem ipſæ blanditiis fovent trecentis.
Paucis accipe quid velim, quid abs te
Jure nunc repetam meo. Obligaſti
Mihi ſæpe fidem, fore ut libellum
Pares editione Vulpiana,
In quo carmina cuncta perlegantur,
Quæ dictavit ocellulus Sophorum,

Va-

Vatum floſculus, arbiter leporum
ZANOTTUS meus hic tuuſque: recte
Noſti: haud ille quidem ſenex peræque
Ac Neſtor Pylius (teruntur ejus
Pulcra carmina per Jovem & beata
Doctorum manibus), ſed alter ille
Frater, quem vetulum haud licet vocare
Ipſo judice. Carminum cupido
Horum me magis in dies magiſque
Tangit: hæc peto, flagito, urgeoque.
Mihi ſolve datam fidem, & cito ſta
Promiſſis; ſecus irruam repente,
Ut illi horribiles & expediti
Conſueſcunt facere impetum ferocem
Velites Scythiæ truces alumni,
Quos Machirius, & Nadaſtus acer
Irritat fera prælia auſpicantes.
Ruam continuo in domum, in cubile,
In ſubſellia, in intimas latebras,
Furens ſcrinia docta, ſagienſque
Hac illac peracute & impotenter,
Verram, radam, abacos, reconditaſque
Arcas, omnia ſuſque deque miſcens
Adverſaria, codices, tabellas,
Libros, faſciculoſque paginarum,
Si forte incidam in hos diu expetitos
Verſus; quos ego ſi ſemel latentes
Videro, arripiam, in ſinum reponam,
Et fauſtam celebrans ovationem
Dives ad cupidos typos volabo.

FRAN-

FRANCISCI ALGAROTTI

AD

FRANCISCI MARIAE ZANOTTI

CARMINA.

ELEGIA

Alteri editioni præpoſita.

O, Quos dulciſono Franciſcus jam edidit ore
Verſus, quos Pallas, quos Venus edidicit,
Caſtalio aureoli ſtillantes nectare verſus,
Pectine ſive canat bellica pindarico
Facta Ducum, & nigro manantes ſanguine currus,
Seu ludat blandæ delicias Veneris,
O dulce immortale decus, Pindi decus alti,
Vos ne ille ille ſoli gloria Felſinei,
Ille, mihi doctæ quem devinxere ſorores,
Illius & dederunt veſcier eloquio,
Quo duce mi Pindi æternum reſonantis adire
Vocales ſilvas & loca ſacra datum eſt,
Voſne meras veneres, Muſis & Apolline natos
Invidus æternis abdiderat tenebris;
Ut, miſſum a puero furtim ſibi, callida virgo
Malum ſecreto condidit in gremio,
Ne ex improviſo adveniens incommoda mater
Quæ non ipſa probet munera comperiat?
O tibi proviſum male nobis! O male factum!
Pace, Zanotte, tua dicere mi liceat.
Tune igitur cæca potuiſti condere nocte,
Tune igitur ſtygiis mergere fluminibus,

Aëra

Aëra & in vacuum inſanis diſperdere ventis,
Quæ tibi dictavit candida Calliope?
At quantum, Comine, tibi, quantum tibi, Vulpi,
Debemus ſacros qui bibimus latices!
Quantum non certe verbis exprómere fas eſt.
Per te ſuaviloqui Naugerii in manibus
Sunt etiamnum illi dulces doctique libelli,
Quos puro veterum ſcripſerat eloquio.
Per te Flaminii vivit nunc candida Muſa,
Vivetque æterno lumine ſplendidior
Aucta tua nitida, ſollers Vulpi, editione,
Cui ſummo plaudunt ex Helicone Deæ.
Carmina tu pariter multis quæ æſtatibus ante
Franciſcus facili promſerat ingenio,
Quæque ipſe abdiderat tenebroſa in ſcrinia, ne quis
Illorum veniens ulla dies legeret,
Quæque, ita me Dii ament, Italas vulgata per urbes
Certaſſent numeris, docte Catulle, tuis,
Unus tu, Vulpi, eduxiſti in luminis auras,
Gauderet tanto capſula ne una bono,
Cumque tuis, librum egregium! ſimul emiſiſti.
O vere felix terque quaterque liber,
Quem ſimul & Vulpi & commendat Muſa Zanotti!
Non alium Charites Phœbus & ipſe legunt.
Aſt alios etiam Aſcræos modo promere fœtus
Franciſco auricomæ Theſpiades dederunt.
Quos tamen, heu! nebulæ ceu ventis diſcerpuntur,
Cum violens ſcythica luridus & glacie
Annoſas Aquilo divellit per juga quercus
Et Satyros ſonitu terret & Oreadas,
Haud ſecus omnivoro laceraret dente vetuſtas
Invida: laurigeræ me niſi Caſtalides,
Queis ſunt teſtudo & numeri, queis carmina curæ,
Juſſiſſent tacitis eripere e tenebris.
Et merito; hos cantabat enim, cum dulcia ſilvis
Interdum caperet frigora pieriis;

Ar-

Arduus hos retulit nemoroſo e vertice Pindus,
Hos retulit motis ſilva cacuminibus.
Eja agite extremo Muſarum munere verſus
Emiſſi, extremo munere Cælicolum,
Vos pariter dias exite in luminis oras,
Et vos antiquis fratribus adjicite;
Qui ætatem longam longa & per ſæcula lapſi
Victores reſtent temporis invidiæ,
Unde quis Aoniæ captus dulcedine lymphæ
Hæc ſtudia ingrediens omnia bella petat.
Qualis ab umbroſo decurrens vertice montis,
Qui pinu circum cingitur aëria
Exilis fluvius fæcundos trajicit agros,
Labitur & tacito per nemora alta pede,
Mox aliis, aliiſque auctus ſe ſe explicat æquor
In latum magni æmulus Oceani.
Hunc circum ſemper floreſcit dædala tellus,
Hunc propter ſemper perſtrepit aura levis,
Huc properant Nymphæ, huc, agreſtia numina, Fauni,
Huc e vicinis montibus Oreades,
Huc venit e pago lymphis Galatea ferendis,
Huc potum tardas paſtor agit pecudes.

FRAN-



FRANCISCI MARIÆ ZANOTTI

CARMINA

AD

FERNANDUM ANTONIUM GHEDINUM.

ELEGIA.

ETſi me variæ rapit inconſtantia ſortis
Jampridem, incertæ verſat & orbe rotæ,
Nunc vero, fieri quod numquam poſſe putabam,
Torquet Amor duræ ſævitia dominæ:
Quæ, niſi opem fert Juppiter, aut alius deus ullus,
Hei mihi! rus longam cogitat ire viam,
Meque ſuum juvenem confectum pæne dolore
Inque malis tantis impia deſerere:
Ah, tibi ego ſi quid placui, ſi me quid amaſti
Umquam, per Venerem, perque ſuum puerum,
Per te ipſam oro, vita, mane. an tu, lux mea, credas
Unum me ſine te vivere poſſe diem?

At, memini, quondam, quum non ſic dura fuiſti,
Dulcius eſſe aliquid me tibi non poterat.
Nunc tibi mens alia eſt; at non mihi, non mihi certe,
Qui te fixam unam ſemper habebo animo;
Teque die ſemper, te ſemper nocte vocabo,
Fruſtra, etſi multis non ſine lacrimulis.
Non ſecus, ac quondam deſerti ad Strymonis undam
Orpheus erepta dicitur Eurydice:
In tantis, Ghedine, tamen mæroribus, inque hoc
Luctu, qui me intus devorat aſſidue,
Nec ſinit, heu, noctes requieſcere, ſcripſimus ad te
Quem unum pluſquam oculos diligo, pluſquam animam,
Dicitur ut caro fiagraſſe in Caſtore Pollux,
Quem ut voluit divis Juppiter inſerere,
Atque novum Cæli ſidus facere, Eſt mihi, dixit,
Frater: is in partem, Juppiter, ut veniat.
Qui ſubito arreptus magni juſſu omnipotentis,
Ad fratrem ſedes venit in ætherias;
Poſtque aliquot menſes incedere cœpit Olympo:
Ille alto ſeſe proluit Oceano.

AD JOANNEM BAPTISTAM MORGAGNUM.

ELEGIA.

Quod ſcribis, Morgagne, ſatis placuiſſe, quod ad te
Miſi, incomtum illud carmen, & horridulum,
Quod, mihi quum mordax laceraret pectora cura,
Et miſerum urgerent ſors, Amor, & Domina,
Neſcio quid tacitum & longum ſub rupe querenti
Mi mea dictarat candida Calliope,
Id gratum eſt mihi; ſed quod rurſum adducere tentas,
Meque ad Muſarum delicias revocas,
Poſſem utinam! at quis me credat (niſi ferreus ipſe eſt)
In tantis quidquam ſcribere poſſe malis?

Tem-

Tempore nam ex illo, mea quo mihi reddita amica eſt,
Quam unam præ vita caram habeo atque oculis,
Non poſſum, quales tulerim, quantoſque labores;
Quot gemitus, quot ſuſpiria, quot lacrimas,
Dicere, quotque preces, ut duram flectere mentem
Poſſem, mi miſero fundere opus fuerit.
Quum mihi viſceribus furor hic hæreret in imis
Interea, & ſaxis ſtaret ea aſperior.
Ah! quid tantum a me peccatum eſt, Lydia? quod tam
Tam dirum potui admittere flagitium,
Tamque grave, ut me tot pœnis tam male plectas?
An non te toto ſemper amavi animo?
An non laudavi ſemper, formamque probavi?
Quæ tamen, heu, miſerum quid benefacta juvant?
Illa quibus dictis jam cœperat inflammari,
Jam flecti precibus cœperat illa meis.
Jam ſe culpabat, jam ſe duramque vocabat:
Ipſa fatebatur lenta fuiſſe nimis.
Litterulaſque mihi mittebat identidem; & oh quas!
Quas, credo, ipſe ſuis ſcripſit Amor digitis;
Queis ego ſollicitum, ut poteram, ſolabar amorem,
Quum ſubito ecce aliud mi accidit horribile.
Nam dum candidulam mi dextram porrigit illa,
Spondet & optati gaudia conjugii,
Nec tantum quidquam potis eſt exſtinguere amorem,
Cogitur ad patrios illa redire lares.
Ad patrios, Morgagne, Lares heu cogitur illa.
Quo perculſa novo fulmine mens animi
Excidit, atque omnes ſecum ſenſus rapit omnes,
Omnes delicias, omne meum ſtudium.
Quare nec dulces impellere pollice chordas
Nunc mihi, nec teneris ludere carminibus,
Nec ſolita cura eſt præcingere tempora lauro
Triſtia, nec colles ſcandere Pierios:
Sed flere, & longas ſine ſomno ducere noctes;
Qualis dimiſſo Penelopea viro

Dicitur, ille inter quum prælia verſaretur
Agmen agens muros militum ad Iliacos.
Quæ tamen haud ſolis ſibi tum metuebat ab armis,
Verum etiam a ventis, & mare navifrago,
Quum ſæpe egrediens portis bipatentibus Hector
Seſe per medios irrueret Danaos,
Cogeret & ventis rurſus dare vela ſecundis:
Illa autem ſcibat, quanta pericla maris.
Quæ tamen heu voluit, voluit Ghedinus adire
Heu miſer, & rapido credere ſe pelago.
Et nunc heu (qui ſcit?) nunc illum forſitan Auſter,
Forſitan unda mali verberat Oceani.
Tu ne igitur patriam potuiſti linquere terram?
Tu ne igitur triſtem deſeruiſſe patrem?
Tu ne igitur dulces fratres, caramque ſororem?
Et procul a cara vivere tun' domina?
Parcite vos fluctus, vos quæſo, parcite venti,
Et facite ut faciles naviget ille vias.
Et rediens omnes circum amplexetur amicos,
Inque ſuæ gremium ſe referat dominæ;
Quæ miſera, heu, fruſtra averſos amplexa Penates
Qualia pro caro vota facit juvene!
Infelix! ſed quid luctus nunc perſequar illos?
Lydia me torquet, Lydia cura mea eſt.
Hæc mihi lætitias omnes, hæc gaudia ademit
Hæc cor, hæc mentem ſurpuit, hæc animum.
Hæc me perpetuo vultum palleſcere cogit,
Et madidas lacrimis ſemper habere genas.
Quare, ſi quos vis, renuo tibi mittere verſus,
Hoc ego non renuo, verum Amor, & Domina.
Qui te utinam, Morgagne, magis feliciter urant:
At fore mi ſemper difficiles video.

AD

AD PUELLAM.

ELEGIA.

(*Argumentum pro antiquo fictum*)

MEne igitur vanæ ſemper ſervire puellæ?
Mene igitur duræ ferre jugum dominæ?
Munera quid nobis, quid nobis carmina proſunt?
Ah per vim atque minas illa movenda mihi eſt.
Vis alias movit; vis te quoque, dura, movebit.
Perfida, quid rides grandia vota mea?
Si neſcis; magicos docuit me Velïa verſus.
Poſſum ego te in ferrum vertere, te in lapidem.
Et faciam; nam quid fulvi me verticis aurum,
Contextus gemmis quid juvat iſte ſinus?
O pereant crines, pereant gemmæque, ſinuſque.
Illa mihi tanti cauſſa fuere mali.
Illa per obſcuras me cogunt ire tenebras,
Atque caput gelidis imbribus objicere;
Illa jubent miſerum tota hic me nocte jacere,
Et latus in duris frangere liminibus.
Limina dura! quibus toties excludimur; ah vos
Grandine vos cælum verberet, & pluvia.
At dominæ imperium crudelis vos premit: illa eſt
Impia, laxari vos vetat illa mihi.
Impia, pande fores, non ſic excludere amantem
Fas eſt; per magnam non licet hoc Venerem.
Quid ſi ardens ira, rapidus, præcepſque venirem,
Armatos ducens in tua tecta homines?
At ducam; quando nec te ſuſpiria noſtra,
Nec poſſunt ullæ flectere te lacrimæ.
Ducam. illi æratos evellent cardine poſtes.
Fracta cadet multo janua cum ſtrepitu.
Ipſe etiam ingreſſus, clamans te perſequar uſque,
Injiciamque manus, diripiamque comas.

Non mihi te mater, non te mihi ſubtrahet ullus:
Frangam te multis, impia, verberibus.
Nempe etiam e ſumma poſſum te, ſæva, feneſtra,
Si furor impulerit, præcipitem ejicere.
Quid loquor? ab miſerum quo me rapit ira, dolorque?
Hei mihi! non ullis vincitur illa minis.
Parce, precor; ſæpe hæc etiam ſum dira precatus
Ipſe mihi; parce, o parce, puella, precor.
An mihi tam rigido credas præcordia ferro
Cincta eſſe, ut poſſim tanta videre mala?
Non faciam. Sed tu reſera jam, lux mea, poſtes,
Jam reſera; excluſo quæ tibi laus puero eſt?
Non peto ego tecum nocte hac concumbere poſſe
Furtim: poſſe loqui, poſſe videre peto.
Id ſi dura negas; mulier non te edidit ulla,
Sed potius rabidis tigribus es genita.
Sed tamen uſque negas. O ferro, & durior ipſis
Saxis! multa tuo Dii mala dent capiti.

AD DIVUM PHILLIPUM NERIUM.

ELEGIA.

ETſi animum ſubito perculſus funere amici,
Quem nuper mihi mors invida præripuit
Exſtinctum miſere, atque ipſo ſub flore juventæ,
Spem patriæ, noſtri ſpemque ſodalitii,
Vix poſſum ingenium ſolitas appellere ad artes
Muſarum, & mentem vertere ad hæc ſtudia,
In quibus exercet ſe ſe generoſa juventus,
Tantis curarum fluctibus intus agor;
Non poſſum tamen, o felix, atque optime Neri,
Hic ego non aliquos promere verſiculos.
Non quo facta tua, & divinas dicere laudes,
Et quæ factorum præmia magna capis

Ipſe

Ipſe putem me poſſe, aut, ſi poſſim, hoc opus eſſe:
Sunt qui reſque tuas, & decora, & titulos,
Virtuteſque æterno carmine complectantur;
Mi ſatis eſt animum expromere, & officium.
Scis tu; quum potui, paſtores Arcadas inter
Quæ tibi, ſancte Senex, carmina perſolui.
Nimirum ingenuas ego tunc per Apollinis artes.
Quum nullis curarum æſtibus abriperer,
Gaudebam, exſultanſque animo, lætuſque ferebar:
Nunc me crudelis nocte dieque dolor
Occupat aſſiduus, animique in limine perſtat
Expellens omnem pectore lætitiam.
O pater, o mihi da curæ moderarier iſti,
Et luctum hunc tantum comprimere, & lacrimas,
Quas dudum cari mors immatura ſodalis
Exprimit. Haud peto ego hoc pro pietate mea.
Pro meritis, & pro virtutibus ipſius ipſis
Pro fide, & eximia relligione peto.
Nam meminiſſe decet te, quæ mihi multa precatus,
Dulcia quum vitæ tempora tranſigeret,
Ille fuit, quum ſe ante tuam proſterneret aram
Dona ferens multis non ſine lacrimulis;
Poſtea linteolo quas leniter abſtergebat,
Plorantem ne quod proderet indicium.
O qualem, & quam nunc mutatum tempore ab illo,
Dulcis Alexander, te miſer excipio!
Dulcis Alexander, noſtri ſolamen amoris
Quondam, nunc luctus, perpetuuſque dolor.
Non jam ullam inviſes aram, non jam amplius ulla,
Hei mihi! pro caro dona ſodale feres,
Quem miſerum liquiſti, & pectore conſternatum.
Credo equidem, nec mi id quidlibet eripiat,
Te vita meliore frui, & cæleſtibus auris
Veſci, interque altos degere cælicolas.
Illic res omnes, rerum & primordia cernis,
Tam multa unde exſtant, tam nova, tam varia,

 Quæ

Quæ nos ignari miramur, at omnia paucas
Per leges Natura expedit, & faciles.
Ut ſolem obducant maculæ, radiantiaque aſtra
Fixa ſuis maneant ſingula vorticibus:
Utque iis circumfuſa volumina materiai
Immenſis ſe ſe circumagant ſpatiis;
Atque alios orbes ſecum, ingenteſque planetas
Præcipites curſu præcipite abripiant,
Aſpicis, utque ſuo de vortice quiſque cometa,
Exeat, inque alios tranſvolet, inque alios.
Quamquam equidem nil hæc plane ſunt omnia, nil ſunt,
Ad tua ſi propius gaudia reſpicio,
Quum Deus illabens præcordia in intima, ſe jam
Præbet, & ipſe ipſam mentem animi alloquitur.
Tum nempe illa nova, ac mira dulcedine rapta
Exſultat, nec ſe ſe capere ipſa poteſt:
Hæc quidem ego recolo, & tacitus mecum omnia verſo;
Felicem & te nunc eſſe ſcio, & fateor,
Quin etiam (adjuro teque, & tua numina, Neri)
Sublevor, hæc mecum ipſe omnia dum reputo.
Nam decet, immo æquum eſt, ſi quæ ſint gaudia amicis,
Gaudere, atque eadem illa eſſe putare ſua.
Sed tamen ut cari vultus, atque oris imago
Mi redit, & numquam, numquam ego te aſpiciam!
Numquam te amplectar poſthac! numquam alloquar! o me
Me miſerum! qui tunc intima ad oſſa dolor
Labitur, & mentem, & ſenſus mihi ſurripit omnes!
Quare ego per ſanctam, quam violaſſe, fidem
Me numquam puto, tu numquam certe violaſti
Te precor, atque ſimul te, venerande Senex,
Cui priſco de more ſacrum hunc celebramus honorem,
Si quidquam hæc curas, atque hominum ſtudia,
Votaque de cælo bonus aſpicis; hanc mihi, quæſo,
Si fieri potis eſt, demite triſtitiam.

DE

DE GUIDONE ANTONIO BARBATIO

Bononienſi Senatore quum is ſummum Patriæ Magiſtratum iii. iniret.

ELEGIA.

Qui primum prono terræ æquora findere aratro,
Et virgulta in humum defodere inſtituit,
Et qui vitigenos fœtus, & pabula læta
Monſtravit, vitam quæ recreant hominum;
Quique animo & maria, & terras complexus, & omnes
Aerios tractus, ætheriamque plagam,
Inſtitit omnigenarum inquirere pondera rerum,
Naturamque, & motum inſpicere, & numerum:
Ordine quo, & per quas leges Natura gubernet
Fulgentes ſtellas, ut face Sol roſea
Undique terrarum immenſa circum ſola luſtret,
Succedat tacitis humida nox pedibus:
Et qui navigii dubia ratione reperta,
Arte nova rudem adhuc imbuit Oceanum.
Quique alias nobis artes aliaſque tulerunt,
Non tantum humano profuerunt generi;
Quantum is qui linguam arte infectens, nomina prima
Finxit, tum rebus diſtribuit variis,
Singula commonſtrans digito, quæ voce notabat.
O mirum, dignumque omnia quem celebrent
Sæcula, cui ſtatuas ponant, cui templaque, & aras
Inſtituant, ſanctis non ſine muneribus!
Nam ſimul ut ratio tali tantoque reperto
Aucta eſt, qualia tunc protulit in medium
Certatim quæcumque ætas inventa deinceps!
Mitto & ſcribendi multiplicem & varium
Cantandique artem, & ſtudium quadruplex numerorum,
Quorum ope recludi abdita quæque putant;
Omnia quæ, vocum niſi fulgor prænituiſſet,
Nunc premeret cæcis improba nox tenebris.

Sed

Sed quid, quid facundia? quid vis illa potentis
Eloquii, cui obſiſtere nil potis eſt?
Nomine ſi careant res, an non muta jacebit?
Et tamen humanum ſola genus potuit
Triſtibus a ſilvis, tetriſque abducere ab antris;
Quum illic ætatem vi coleret miſerum,
Non ratione; ævumque agitaret more ferarum:
Quod ſimul adfata eſt vociferans ratio,
Perdomuit, dictiſque bonis manſueſcere fecit.
Felices animæ, munere quæ ſuperum
Tam claro, tamque egregio vitam illuſtraſtis!
Vos ego ſæpe meo carmine ad aſtra feram.
Quamquam equidem multo mihi Guido beatior eſſe
Creditur: is Guido, cui ſua purpureum
Felſina vexillum dat habere, & pandere ad auras:
Cui neque præſtantis ſplendida ſenſa animi,
Virtutum ſoboles præclara, nec aurea deſunt
Verba, quibus pandit ſingula mirifice.
O felix vere, multo & felicior illis!
Nam quid mundus adhuc ſcire tener poterat,
Quum primum extulit ora, atque hanc emerſit ad artem?
O miſeram artem! cui ſplendidæ opes fuerant
Notitiæ tenues, & pauca vocabula; ſed quas
Conflavit quantas poſt ſibi divitias
Æternæ lumen rationis, & intima rerum
Perſcrutans, arteſque artibus accumulans?
Quas ſibi quum ingenio, longoque paraverit uſu
Guido, proh quali, & quam valido ore ruens
Dicendi formas devolvit verba per omnes!
Nam ſeu dictis ille omnia terrificis
Miſceat, ancipiti perfundens corda pavore
Territat, & trepidam turbat ab imo animam:
Sive foras terrorem agat, atque ad fortia cives
Accendat, quid tum difficile eſſe queat?
Quid non impavidi tum cives aggrediantur?
Et quidquid promit ore, oculis, habitu,

Adſi-

Adſiſtunt, præſtoque eſt ſunt ad cuncta, timendi
Verborum comites, ira, amor, invidia:
His premit, his mentes hominum propellit, & urget.
Quales non illi quos mi adeo celebrant,
Tullius, & Craſſus Romanæ robora Suadæ:
Non Laertiades ille vafer Danaum
Hortator, ductorque, idemque omnis pater aſtus;
Qui, poſtquam ad veterum mœnia Dardanidum
Raptoris Phrygii confixus arundine plantam
Theſſaliæ columen concidit Æacides;
Auſus Achilleam eſt primus ſibi poſcere parmam,
Quum miſera, & ſine hero illa jaceret humi,
Atque unus contra nequidquam ſurgeret Ajax.
Ille Jovem, & ſuperos, Oceanumque patrem,
Et magnum Simoenta, & litora teſtabatur:
Magnanimi adſtabant, prima virum, proceres,
Queis neque doctrina Guido, nec laude ſecundus
Ulla, quoſvis per pectora mirificos
Concutit eloquio motus, & verſat, agitque,
Impellitque animos quò lubet, unde lubet.
Jam vero ſi hilares animi velit edere fœtus,
Omniaque arguto ſpargere dicta ſale;
Ut geſtit, ut tunc oratio tota renidet!
Ut ſe ſe flores induit in varios
Luxurians ſermo ridentibus undique verbis!
Atque hunc miramur, qui loca Pieridum
Avia tam ſubito peragret, ſaltuſque beatos?
Nempe alii unum hoc mirentur; ego id minime.
Etſi illic non Titanas telluris alumnos,
Non Cadmi repetit facta, nec Æſonidæ,
Herculeave manu domita ſtymphalia monſtra:
Hæc temnit, non hæc unius aſſis habet,
Quæ vel falſa, vel aucta hauſit mens credula vulgi,
Nobis fama vetus, vana anus, hæc loquitur.
At neque gliſcentes tractat per gaudia curas,
Quæ nimium multis paucula triſtitiis

Mi-

Miſcet Amor volitans puerorum pectora circum,
Queis omnes libat lætitias animi:
Et miſeri illius extollunt carmine laudes.
O miſeri! quorum noſter hic haud ſimilis
Heroas tantum, heroumque ingentia facta,
Præliaque, atque acies grandiloquo ore tonat.
Ut gladiis hinc diſtrictis Germana Juventus
Irruat, hinc pubes Thracia, flos Aſiæ:
Ut ſe ſe ferat in primis, medioſque per hoſtes
Fulminet Eugenius, dum miſeram interea
Bello exardentem crudeli undeundique complent
Europæ, atque Aſiæ funera Pannoniam.
Hæc tantum ille canit. Teque, o Tritonia virgo,
Teque vocat, rixæ dure comes rabidæ,
Bellorumque pater Mavors. Videt, & ſibi fruſtra
Invidus extremum mordet Amor digitum.
O ratis, o cælo ratis olim digna locari,
Quæ Barbatiadas per mare navigerum
Geſtabas quondam felix, o quam bene terras
Liquiſti Siculas, clara deum genitrix!
Nam tu non gemmas, non veſtes murice tinctas
Non Colchis raptum nobile vellus ovis,
Sed miram virtutis vim & decus aſportaſti.
Quæ poſt progeniem lapſa per innumeram
Ad ſeros venit patres, capita inclyta; demum
Antoni excepta eſt pectore magnanimo.
Amnis uti quum alios alioſque effluxit in amnes
Immenſum tandem excurrit in Oceanum.
Hinc plures Guido, & doctos ſibi jungit amore
Muſarum comites, dulce ſodalitium:
Hinc & Baſſanum illum ipſum complectitur: illum
Quem unum ego multa inter millia ſuſpicio.
Dulcem Baſſanum, jucundum, ſuaviloquentem
Baſſanum, quo jam urbs illa vetus Patavi
Hoſpite, nunc gaudet mea Felſina: namque venuſtum
Et lepidum eſſe ajunt. quamquam ego id inficior:
Nam

Nam mi non lepidus, verum lepor ipſe videtur
Ipſe lepor, ſal ipſum eſſe, meruſque jocus;
Et quos edit verſus, illos non ego verſus,
Sed puras putas eſſe reor veneres.
Qualis mane novo dum roſcida matutinus
Lucifer æquoreis exſerit ora vadis,
Et Zephyrum vocat obſcura ſub rupe latentem,
Chloris odorato quem tenet in gremio;
Ille levi fertur per florida prata ſuſurro,
Et dulcem ſpargit per nemora alta ſonum:
Improba dum teneris rixatur frondibus aura,
Huc illuc ſicca pervolitant folia;
Dulce ſimul cantant volucres, quas undique multæ
Quercus frondiferis excipiunt domibus.
Ac veluti aeriæ, & tangentis nubila rupis
Emicat exeſo rivulus e latere,
Cujus ubi exiguis adliditur unda lapillis,
Non ſine jucundo lenta fugit ſtrepitu:
Talis, quid talis? nam quis te comparet illis?
Immo multo etiam dulcior, & melior
Suavidicis fertur numeris tua Muſa, Jacobe;
Seu tu illum dominos evehis ad ſuperos
Morgagnum humanæ illuſtrantem commoda vitæ,
Dum ſollers medicis invigilat ſtudiis,
Et cæcas aperit cauſas rerum, & nova ſemper,
Et pergit ſemper pandere mirifica.
Et vero, ut facilis, Dii magni, ut lenis in omnes,
Ut ſibi vel duros concilians animos
Cunctis dulcem inſpirat Amorem! O Juppiter, hunc quis
Non ipſis oculis plus amet, ipſa anima?
Te tamen, excultis ſive illum verſibus ornas,
Baſſane, o quis tum te furor intus agit!
Sive ipſum hunc celebras Guidonem, & grandia facta,
Unde ætas noſtra hæc fulgeat ad reliquas,
Carmine complexus veniens producis in ævum,
Virtutem tantam ne neget ulla dies.

At-

Atqui ipſum hoc agit & Guido; ac ne immemor ætas
Nocte tegat cæca pulchra hominum ſtudia,
Scandere Muſarum interdum juga nititur. illi
Adſurgunt omnes undique Pierides,
Et liquido cantu mentem paſcunt. novus ei tum
Exoritur vigor, & pectora Apollineus
Intima pervadit calor. O quos accipit ictus
Phœbeos! O quæ concita mens animi
Tum fingit ſimulacra, & partes verſat in omnes!
Tum vero tum ille nubiferaſque vias,
Dum ſtimuli ſubſunt animo, & liquidum æthera tranat,
Sanctaque magnorum templa Deum ingrediens
Præclaros Ignatiadas extollit ad aſtra
Franciſcos, unum Gallia quem ſuperis
Miſit, ut armorum quæ gens laude anteit omnes,
Ne illa foret ſancta relligione minor.
Alterum, & Indorum patrem, & decus Hiſpanorum:
O pater, o tua hinc quam procul oſſa jacent!
Qui tantus, quinam tantus te te impulit ardor
Extremos longe viſere Japonios?
At non ut tu illinc gemmarum, aurive referres
Munera, per dubia vela dabas maria:
Tantum ut gentem ſemotam, tantum ut nova regna
Chriſtiadum antiquis finibus adjiceres.
Felix qui veſtras laudes efferre canendo
Eſt potis! huic furor eſt, hic mihi numen habet,
Hunc præſens tradet ſæclis venientibus ætas;
Illa aliis tradent ſæcula, & illa aliis.
Fert nam equidem magnos ætas hæc noſtra Poetas,
Sed tamen hi magni tenuja ſæpe canunt.
Dii faxint, ut tam præclaris artibus iſtum,
Tamque bonis ſtudiis erudias puerum,
Qui tibi nunc primis, Guido, floreſcit in annis,
Jamque tuis confert grandia facta atavum;
Sed celeri ingenio mox clara exempla ſequetur,
Virtuteſque addet præterea ipſe ſuas.

AD

AD JOANNEM ANTONIUM VULPIUM.

ELEGIA.

VUlpi, cui gelidum Pindi nemus, & loca Phœbo
Sacra novem doctæ dant habitare Deæ;
Egregium mihi quem ſtudium, & præclara voluntas
Devinxit ſanctæ fædere amicitiæ,
Cui nemo, ut ſpero, quiſquam me carior uno eſt;
Tantus te noſtræ cæpit amor fidei;
Quamquam ego ſolvendis paullo ſum tardior illis,
Quæ tuus altus amor poſtulat, officiis,
Non hoc, quæſo, animi ingrati, mentiſque malignæ
Sed magis eſſe puta pauperis ingenii.
Nam quod tam longo tibi ſcribimus intervallo,
Id non, crede, mihi fecimus immemores.
Hæret adhuc animo, & fixum penitus manet illud
Immortale tui carminis officium,
Cui ego, qua poteram, quum reſpondere pararem,
Non fuit heu facilis cur mihi Calliope?
Scis, Dea, me totis tum niſum viribus eſſe.
Sed nunc, quum ſtudii Vulpius omne genus
Præclare illuſtrans, fama compleverit orbem,
Nunc vero mea non gaudia mente premam:
Sed dicam, ut potero. vos dextram mi date, Muſæ,
Cultorem veſtrum dum ſuper aſtra voco.
Nam quum corrumpant anni, & pulchra omnia libent,
Indomitam poſſint nec ſaturare famem,
Contra ille obniti, & vim ævi convellere tantam
Non timuit tota ſolus in Auſonia.
Eque vetuſtatis tenebris, & nocte profunda,
Omnes quæ fætus devorat ingenii,
Educit veterum divina poemata vatum,
Perfunditque novis omnia luminibus.
Tum vitam, & mores enarrans, & genus, omnes
Diſcutit antiqui temporis hiſtorias.

Tu

Tu ne igitur, Vulpi, tun' blandi dulcia Cottæ,
Tun' Fracaſtori carmina reſtituis?
Et quos divino Alamannus percitus æſtro
Verſiculos rudibus ſcripſerat agricolis?
Quæque adeo admiror, Muſis & Apolline digna,
Per te nunc vivunt carmina Naugerii?
Carmina quæ quondam liquidas jactabat ad auras
Formoſæ referens ora, oculoſque ſuæ?
Dum caneret, Fauni circum undique protinus omnes,
Et Pan illi aderant, & Satyri, & Dryades:
Quin etiam Hadriaco ſunt viſæ e gurgite Nymphæ
Vicinis paſſim ſidere litoribus,
Stillanteſque ligare comas poſt candida terga.
Ille intus totum exuſtus amore animum
Flagrantes oculos pulchræ cantabat Hyellæ,
Quaſque ſibi injiceret Gellia blanda faces.
Et modo ſævitiem crudæ memorans Telayræ,
Unam quam toto pectore caram habuit,
Ut flebat miſer! illum omnes circum undique Fauni,
Illum Pan flebant, & Satyri, & Dryades.
Immitis Telayra, quid is committere tantum
Heu potuit, quem tu perfida ſic crucias?
Aſpice, quam largo perfundat pectora fletu
Ambabus tergens ora puer manibus.
Ille poteſt cantu immenſum te ferre per orbem,
Atque parem antiquæ reddere Tyndaridi.
Tu tantum ne averte oculos, ne deſpice amantem.
O miſeros nimium quos tuus ardor agit!
At tu, docte puer, quid fruſtra te amplius angis?
Ne dubita: pœnas illa dabit ſceleris.
Quin te animo obfirma, & contra omnia ſpicula Amoris
Invictus perſta pectore magnanimo.
Aſpice, quæ longe poſt nos ætas veniat, quam
Innumera annorum progenies ſequitur,
Illa aliquem feret olim, qui tua facta, tuumque
Æternas referat nomen in hiſtorias.

Quas

Quas inter ſeſe multum admirata deinceps
Omnia certatim ſæcula pervolvent.
O felix Vulpi, nobis qui talia promis,
Ne inrepens ætas omnia dente terat.
Quantum Romani te diligit umbra Tibulli,
Si quidquam hinc campos fertur ad Elyſios,
Quum ſe ſe ille tuis audiverit illuſtrari
Libris, quos Pallas, quos Cytherea probat.
Sextus & ipſe ſuæ laudat te ſæpe puellæ,
Gratatur juveni Lesbia ſæpe ſuo.
Atque aliquis propriis metuens oblivia chartis,
Nam longinqua ætas immemor eſſe ſolet,
Quam ſibi fulgorem veſtræ cupit editionis,
Illius antiquum ne pereat ſtudium!
Tu tamen ornatos, quæſo, ne pone libellos,
Qui tibi ſunt, Vulpi, jam, reor, in manibus:
Morgagni ornatos, immortaleſque libellos,
Invida quos olim poſteritas releget.
Illic humanis præpandit lumina membris,
Et fibras fibrarum indicat, atque aperit,
Morborumque domos, & ſacræ habitacula mentis
Detegit, ut toto in corpore nil lateat.
Quas tenues, cæcaſque vias, ductuſque paravit,
Quot natura imis, quæ loca viſceribus
Exigua, ut vix vis animi valeat penetrare!
Atqui hæc ipſa tamen hæc videt, & reſerat
Morgagnus, tot nobilium pater inventorum.
Cujus jam celeri fama ſonans ſtrepitu
Trans Batavos, trans diviſos toto orbe Britannos,
Arctoaſque domos vadit, & ulterius.
Et vero hic ille eſt Morgagnus, quem mea quondam
Excepit docto Felſina cara ſinu:
Is cui tanta ſedet tam grata modeſtia vultu,
Nil ut eo fingi poſſit amabilius.
Hic ille eſt, quem nunc Patavi exoptata ferentem
Dogmata, tota unum ſuſpicit Italia:

Quem nunc propterea Veneti, capita inclyta, Patres
Muneribus cumulant, atque novis titulis.
O factum bene! O quid me jam lætius eſſe,
O Dii, quid me felicius eſſe poteſt?
Quam ſuaves illi mores, quam candida mens eſt!
Illi non ulla eſt ira, nec ambitio.
Et rixas odit, veſanaque jurgia. tantum
Hæc illi, verum noſcere, cura ſedet:
Quod quum perſcrutans cauſas inquirit in omnes,
O ut mira animos, Juppiter, arte capit!
Nam quidquid vult, non tantum efficit id ratione,
Aſt etiam facie, & dulcibus alloquiis.
Qualis, ubi ætherios accendit Noctifer ignes,
Flammea quum laſſis Sol juga demit equis,
Aura levis nigræ ſoboles placidiſſima noctis
Litore nonnumquam ſurgit ab Heſperio;
Agreſtes illam per prata virentia Fauni,
Et chorus errantum captat Hamadryadum;
Tam ſuavem, Morgagne, animum, tales tibi mores,
Tale tibi natura indidit ingenium.
Cujus, mi Vulpi, ne ceſſa promere librum,
Ne, deſiderio dum teneor, peream.
Aſt ede, atque tuos aliquos adjunge libellos,
Quos Muſæ volvent protinus, & Charites.
Horum unuſquivis, vel ſi penitus periiſſem,
Reddere defuncto mi potis eſt animum.

DE FRANCISCO ALGAROTTO
Cum is ægrotaſſet.

ELEGIA.

HUmanaſne ergo fallant ſic omnia mentes,
Ut caſus numquam noveris ipſe tuos;
Nec ſolum veniens tenebris quos occulit ætas,
Sed neque quos præſens attulit hora tibi?
Ut modo: cum recte procedere cuncta putabam,
Rebarque infelix omnia læta mihi;
Nec ſcibam interea, Franciſcum, quem omnibus unum
Præfero, quemque ipſis diligo plus oculis,
Ex aliis alias dum terras quærit & urbes,
Quo vocet antiquæ quod libet artis opus,
Heu febre ardentem miſera, pejuſque timentem
Externo corpus depoſuiſſe toro,
Nec jam declinare oculos ſomno, neque poſſe
Languida conſueto membra fovere cibo;
Ipſeque ducebam ſecura per otia vitam
Nil veritus tantum poſſe venire malum.
Et vos, Pierides, colui quas ſemper, & id tu,
O pater aurata Phœbe ſuperbe lyra,
Id tu, Phœbe Pater, potuiſti ferre? quid ergo
Refert, quod medica ſis Deus arte potens?
Nam quis, Pierides, vos dicite, ſanctius illo,
Quis veſtras artes purius excoluit?
Seu placuit cantu voces inflectere, cum ſe
Fingeret ad numeros, culte Petrarcha, tuos,
Et dulces oculos pulchræ cantaret Eliſæ:
Accipiens blandos Laura puella modos
Extulit e tumulo caput, atque invidit Eliſæ.
Sive animum noſtra appelleret ad ſtudia,
Divitias Sophiæ & conquireret undique, ſcitis,
Quæ ingenii attulerit lumina, Pegaſides.

Nam vobis, credo, vobis monſtrantibus ipſis
Spiſſum Neutoni & difficile ivit iter,
Stellarumque vias didicit cunctarum, & uti Sol
Conſiſtens Mundo flammeus in medio
Noctivagos ad ſe trahat, alliciatque planetas,
Qui contendentes rectum iter indugredi,
Tranſverſa ignivomi dum Solis vi abripiuntur,
Obliquant longas per ſpatia ampla vias.
Vos illum edocuiſtis, uti magnum per inane
Omnigenum Titan fundat ab ore jubar;
Utque interpoſito manans lux candida vitro
Ipſam ſe ſpecies explicet in varias,
Poſtea quas retinens nulla mutarier ab re
Ipſa poteſt, nullis aut variare modis.
O tua cum teneris vis ardens, improba febris,
Hæreret docti viſceribus pueri,
O diſciplinis quot quanta pericula cunctis
Attulit, & cunctis artibus ingenuis!
Nam velut arentes findit cum Sirius agros,
Aut Sol flammiferi terga Leonis adit,
Humorem niſi fæcundum Tithonia conjux
Spargat, & optatas ventus agat pluvias,
O qualis miſeris æſtas ſqualeſcit in arvis!
Agnoſcit ſegetes non Ceres ipſa ſuas.
Siccatis paſſim per prata virentia rivis
Diffugiunt omnes undique Naïades,
Et Zephyrum fruſtra arceſſunt; ſub rupe cavata
Qua gelidus fons eſt, improbus ille ſedet,
Arboribuſque, & floribus indignatus, & herbis
Se tacitum Floræ rejicit in gremium.
Haud aliter ſacræ langueſcant Palladis artes,
Franciſci ni illas excolat ingenium:
Quis, niſi Franciſcus, veteres æquabit honores,
Expromens Bembo carmina digna ſuo?
Quis Deſagulerium Latias traducet ad urbes,
Inſula ne tanto gaudeat una viro?

Dum

Dumque Arctoa novis intexet dogmata chartis ;
Ipſe facem ſtudiis præferet Auſoniis .
Dî bene , quod greſſum torſit jam fœdior illa
Febris ad infernos , venerat unde , lacus .
Credere namque lubet , Franciſcus quod modo nobis
Non longo at dulci ſcripſit epiſtolio :
Horas cum febris mihi paucas incubuiſſet ,
Nigris ſe pennis ſuſtulit , atque abiit .
O utinam ne ſit ex illis peſtibus una ,
Peſtibus ex illis , quas cum abiiſſe putas ,
Eaſdem aut quarta dies aut tertia quæque reportat .
Abripiant talem ventus , & unda metum ;
Abripiant , diſpergantque extremi in vada ponti .
Voſque auræ interea , quæ Gnidon , atque Paphon ,
Quæque Cypron gelidam mulcetis , quæque Cytheram ,
Dilectæ ſomno , candida turba , Deæ ,
Huc celeres , huc ferte gradum , & qua tollit ad auras
Urbs Antenoreo digna labore caput ,
Quam ſtudio illuſtrat Morgagnus & inſtruit omni ,
Confeſtim pennas pandite purpureas ,
Perque domos paſſim dulces adferte tepores ,
Labentes placido murmure , perque vias ;
Ut , ſi doctus adhuc puer intra mœnia ſe ſe
Condit , ei febris peſſima ne redeat .
Qui tamen ingratam ſi terram , urbemque peroſus
Muſarum ſuaſu rura beata petit ,
Felices campi , & fontes , felicia rura ,
Quæ ſalvum Muſis reſtituent juvenem !
Arquanum nemus , & facundi villa Petrarchæ ,
Quam Pan frondoſis ſpectat ab Euganeis ,
Et vos florentis viridantia Carpenei ,
Quæ Venus ipſa & Amor incolit hoſpitia ,
Floriferis illum excipite , & bene olentibus herbis ,
Dum ponit veſtris membra ſub arboribus .
Dumque ſedet , ceſſent Fauni curſare per agros ,
Squalida ne timeat , dum videt , ora deûm ,

 Ad-

Adſpiciat tantum Dryadas, dum prata pererrant,
Narrantque inter ſe plurima furta ſua.
O illi redeant veſtro ſi munere vires,
Cumque jocis læti blanda quies animi,
O muſis dilecta loca, dilecta Napæis
Quis vos non campis præferat Idaliis?
Quæ dea non iſthuc ſummo deſcendat Olympo?
Non faciles ducat veſtra per arva choros?
Ipſe etiam vos Franciſcus, quem clarus Apollo,
Quem Pallas, quem ipſæ depereunt Charites,
Vos longe ante alios, quot ſunt, mirabitur agros
Omnes, & terras diliget ante alias,
Voſque ſuo cantu in Cælum feret: excidet ipſi
Fortaſſe ille ſuus Sirmio cum Caphiis.

AD PETRUM LUDOVICUM CARAFFAM

E L E G I A.

Nomine cujuſdam pueri ab eodem CARAFFA
opem & auxilium petentis.

CUm me per varios agerent fata aſpera caſus,
Nec ſinerent certo poſſe manere loco,
Meque domi interdum adſpiciens dulcis mea mater
Lugeret, nam me toto amat illa animo,
At te confugerem, voluit, Caraffa; preceſque
Cum lacrimis multas fundere me docuit.
Juſſus ego id facio. Sed quid? Men' dicere fas eſt,
Quæ mecum ipſe meo condita ſervo animo?
Dicam equidem. Quid enim noceat, modo vera, fateri?
Mi nocuit numquam; profuit immo etiam.
Quod ſperant igitur, de me, Pater optime, poſthac,
Deque meis rebus te fore ſollicitum,

Nam-

Namque id ſæpe ajunt, & ſpem, niſi ponitur in te,
Spem omnem, quæcumque eſt, abjiciunt penitus,
Hoc ajunt illi. Sed ego quî credere poſſum?
Præſertim cum tot, tantaque, tam varia
Suſtineas, rerumque negotia Romanarum,
Quæ tibi, cum antiquos miſit ad hos populos,
Romanæ ille tuus Rex atque Pater dedit urbis;
Virtutem quippe noverat ille tuam,
Qui cum eſſes alti ſummus Præſes Camerini,
Di magni, quæ tum gloria parta tibi eſt!
Nam ſæpe audivi. Nec te, Lariſſa, nec, Ancon
Te, bona, qui narrant hæc mihi, prætereunt;
Immo neſcio quid de gentibus Urbinatum
Addunt, deque tuis, maxima Roma, viis,
Quas tibi, cum fuit Ædilis, ut muniit omnes!
Reſque alias: Sed ego illa omnia non memini.
Quare tot curis cum mentem oppleveris altam
Ipſe tibi; puero quis putet eſſe locum?
At mihi neſcio quid narrarunt de Jove magno:
Non dubito, quin tu ſæpius audieris:
Omnipotens puerum cum Juppiter Arcada Cælo
Impoſuit, ſiduſque eſſe novum voluit,
Tempore quo fatis illum exercebat iniquis,
Heu miſerum! Juno maxima Cælicolum.
Crudelis Juno! nam quid te læſerat ille,
Solus ut umbrifero vitam agere in nemore,
Horrendoſque inter ſaltus deberet, ubi atrox
Tigris, ubi ſerpens, & leo montivagus?
Atqui etiam matrem in turpem mutaverat urſam:
Infelix mater, jam fera, non mulier!
Quæ miſera interea ſilvis cum erraret opacis,
In gnatum quoties incidit ipſa ſuum,
Et fruſtra ingemuit demens, voluitque vocare!
Ille ipſam duris inſequitur jaculis.
Ah, puer, ah quid agis! ſceleratas pone ſagittas.
Non urſa eſt; mater, quam petis, illa tua eſt.

 Sen-

Senſit id omnipotens; raptumque per aëra natum
Divûm ſidereis in domibus poſuit.
Cujus ſi exemplo res, Petre, tuebere noſtras,
Non ego me radiis, non ego ſideribus
Involvam, aut cælo incedam; ſed me tibi certe
Præſtabo certe me tibi morigerum.
Quod ſi non fuero: diſcerpant me, & mea dicta
Venti, nec mi ſit Juppiter ipſe bonus.

AD FERNANDUM ANTONIUM GHEDINUM

Cum is in Hiſpaniam proficiſceretur.

NOn potero, Ghedine, hujus meminiſſe diei
Quin ſubito multis conficiar lacrimis,
Et redeant dolor, & curarum millia multa,
Quæ miſero mihi nunc excruciant animum.
Nam potui amplexu te te dimittere noſtro,
Inque hoc tam duro vivere diſſidio,
Qui per ſaxa ſequi potius perque æquoris undas
Debueram. Sed vos eſte boni interea
Dique Deæque omnes, ventique afflate ſecundi,
Et ſalvum noſtris reddite litoribus.

AD JOANNEM BAPTISTAM MORGAGNUM

Cum libellos quoſdam ſuos Poëta ad eum mitteret.

QUid vobis faciam, mei libelli?
Haud culti ſatis, haud ſatis politi?
Morgagno dabo? Cui dabo niſi illi?
Dabo. Nam ſtudiis licet Minervæ
Cum primis vigeat, tamen benigna

Comi-

Comitas ſedet illi in ore, & omnes
Afflavit Venus ei ſuavitates.
Sed quid Philotimi tui, meique,
Morgagne optime, Vulpiuſque noſter?
Valent? diſperéam, niſi hos medullis
Plus meis amo, plus meis ocellis.
Quid Muatius, ille, quem Camœnæ
In ſinu, & Charites ferunt, Venuſque?
O vale bene, mi tener Muati,
Quem ſinu Charites ferunt, Venuſque.

DE LAURA BASSIA

Cum philoſophis diſputante.

ERgo, ego cum patrios numquam liquiſſe Penates,
Numquam, Rhene, tuis cedere litoribus
Auſus ſim primæ tranſacto tempore vitæ,
Quam ſemper cara egimus in patria,
Accidere id mihi opus fuit, ut dum Laura, ſuorum
Gloria, Laura, meæ dulce decus patriæ,
Laura, novem ſibi quam Muſæ dudum adjunxerunt,
Quam ſibi flavicomæ conſociant Charites,
Dum, inquam, Laura novis edens nova dogmata chartis
Inter clamoſæ murmura rauca ſcholæ
Iſthac rixandi docta verſatur in arte,
Et vincit cunctos una puella ſophos,
Inter ego Adriaci ſcopulos & gurgitis undas
Verſarer, dubiis lintea dans Zephyris,
Nec doctam interea potis eſſem audire puellam,
Quam vobis omnes præfero, Nereides?
Parcite, Nereides: docta neſcitis ab illa,
Ante ego quæ paucis menſibus audierim.

AD

AD JACOBUM ANTONIUM BASSANUM

Presbyterum e Societate Jeſu.

QUamquam phœbæa præcingor tempora fronde
Nunc ego, doctorum & cœtibus adnumeror,
Non hac, crede, tamen mihi re tam gaudeo, quam quod
His dum doctorum cœtibus adnumeror,
Dumque hac phœbæa præcingor tempora fronde,
O Baſſane, tuo carmine ad aſtra vehor.

AD EUMDEM

Cum ei verſiculos quoſdam ſuos Poëta dicaret.

BAſſane, o lepide, eleganſque amice,
Cunctarum pater & facetiarum,
Atque idem optime per Jovem Poëta,
Quid fiat (rogo te, licenter ede)
Si verſus tibi peſſimus Poëta
Cunctarum pater infacetiarum
Dicet, nec lepidos nec elegantes?
Tibi namque volo dicare verſus,
Quos puer teneris adhuc ſub annis
Feci nec lepidos nec elegantes.
Quid fiat! nihil eſt opus rogare.
Nimirum illum ut punias Poëtam,
Tuos, quos legat, illico ei remittes
Verſus, & lepidos & elegantes.
O factum ſimul & bene & venuſte!
O bella & gravis ultio & jocoſa!
Jam jam nil moror hos dicare verſus,
Quos puer teneris adhuc ſub annis

Feci

Feci nec lepidos nec elegantes,
Tibi, o mi lepide eleganſque amice,
Cunctarum pater & facetiarum,
Atque idem optime per Jovem Poëta.

AD DIVUM PHILIPPUM NERIUM.

Dum tua, Sancte Senex, agitantur feſta per agros,
Hæc tibi dona fero pauca, ſed ex animo,
Non quod tam largos cælo demiſeris imbres,
Cum miſere arentes finderet æſtus agros,
Non quod ſæpe meos præſens ſervaveris agnos,
Cum pecudes paſſim dira lues raperet,
Sed quod, crudeli cum jam jam tabe periret,
Per te Damoni vita meo rediit:
Damoni tenero, cui dum ſua vita rediret,
Ipſi etiam mea tunc vita mihi rediit.

DE SANCTO STANISLAO KOSTKA

Qui mortem obiit eo die, quo die B. Virgo in Cælum aſſumta eſt.

Ultima dum properant Koſtkæ jam fata, neque ulla
Languentem medici ſublevat ars puerum,
Non ille, antiquæ ut rediens ad commoda vitæ
Abſumta in longum vivere tabe queat,
Non ille, ut dulces colles, campoſque reviſat
Koſtkovi, & caræ litora Sarmatiæ,

Tan-

Tantum ut, Virgo, tuos poſſit ſpectare triumphos,
Hoc petit, hoc precibus poſtulat, hoc lacrimis.
O mihi habere Deus vere det talia vota!
Tum ſi me velit occumbere, non renuo.
Qui luce hac ſic oppetit, hujus næ ego mortem
Et vitæ & regnis omnibus antefero.

IN MORTEM MARIÆ VIRGINIS.

Paſtoris Lycidæ querela.

NAm quid ego extremam vitæ hujus demoror horam,
Æternæ poſtquam Diva Parens ſobolis,
Unam plus oculis, unam quam ſemper amavi
Plus anima, heu triſti funere merſa jacet?
Ah! moriar. quid enim exſpecto? Non vivere tanti eſt,
Ut tibi, Dia Parens, me ſupereſſe velim.
Quamquam ni dolor hic miſerum me conficit, heu
Quid jam me poſſit conficere, haud video.
Hæc rupes inter Lycidas & flumina jactat.
Flent rupes ipſæ & flumina cum Lycida.

AD B. MARIAM VIRGINEM IN CÆLUM ASSUMTAM.

DUm te, Virgo, tenent ſummi penetralia Veri,
Felix & magno in Numine cuncta vides,
Nos ſtudia incerta, atque artes ſectamur inanes,
Quas mirans vulgus nominat ingenuas.
Quam rides ſæpe, immenſi ſive ætheris orbes
Conamur certis fingere lineolis,
Semina ſeu celeris longe tenuiſſima lucis
Quærimus, & qui ſit rebus & unde color,

Seu

Seu vim ſcrutamur vivam, qua corpora pollent,
Claudentes paucis omnia litterulis.
Nam Falſum hos auſus cæcis quam ſæpe tenebris
Obruit, aut vanis ludit imaginibus!
Non ego, Virgo, tamen, dubias dum perſequor artes,
Te rogo, ne vanis ludar imaginibus;
Hoc rogo, te quondam, Virgo, ut, pulcherrima, poſſim
Viſere, quæ magno in Numine cuncta vides.

IN FUNERE B. MARIÆ VIRGINIS

Mopſi deſiderium.

QUid credam, o Superi, nunc quum cæleſtia regna
Cæleſtes inter Virgo beata choros
Ingreditur regina, & ſe fulgentibus aſtris
Implicat? an Mopſi ſit memor illa ſui?
An ſubeant illi vota exardentia Mopſi?
Hoc equidem, Superi, credo. ſed interea
Per nemora, atque agros Mopſus, perque antra querelas
Jactat, & immenſis conficitur lacrimis;
Illa incedit ovans, & limen ſpectat olympi,
Et Nati gaudet gaudia magna ſui.
O te ſi nondum capiunt oblivia noſtri,
Si paſtoris adhuc eſt tibi cura tui,
Si quid amas, nec me miſerum contemnis amantem,
Hac me quin vita protinus exſolvis?
Quin mihi das, namque id potes, in cæleſtibus oris
Tecum una longos vivere poſſe dies?
Id niſi tu efficias, numquam tua gaudia, Virgo,
Numquam non luctu proſequar & lacrimis.

IN

IN FUNERE B. MARIÆ VIRGINIS

Lyconis votum.

Quam felix cælo, quam læta dies fuit illa,
Quum Virgo, æternæ magna Parens ſobolis,
Tranabat nubes, ſeſeque ardentibus aſtris
Miſcebat! Quæ vos gaudia tum, Superi,
Quæ nova tum cepit, neque dum exſpectata voluptas?
At me, dum nulla re magis excrucior,
Quam ut te, Virgo parens, videam, veſtroſque triumphos,
Idque unum toto pectore diſcupio,
Nec mihi, quod tu ſcis, cura eſt antiquior ulla;
Me tamen ingratos te ſine, Virgo, dies
Hic opus eſt agere, & ſtudio tabeſcere inani.
Ah quis me vitæ huic eripiat miſeræ?
Hæc olim dicens umbroſo concidit antro,
Senſibus ereptis, & ſine mente, Lycon.

AD CAMILLUM ZAMPERIUM.

Quid me, Zamperi, miſerum compellis & ægrum
Muſarum dulces promere delicias,
Quas mihi jam penitus, venas immiſſa per omnes,
Exardens febris diſpulit ex animo?
Jam fuit illa dies nobis, quum mollior ætas
Florebat, Muſis commoda, & apta magis;
Baſſanumque meum jam tum mirabar, & acre
Ingenium, ſancti flumen & eloquii.
Dicendique faces, atque ejus fulmina ſuadæ
Admirans, laudavi, & cecini, ut potui.
Cum febri, qua vexor, erat tum nulla mihi res:
At tu, Zamperi, quem jocus, & charites,
Quem Muſæ ſemper, & quo vis cumque ſecuntur,
Quin tu Baſſano carmina perſolvis?

Car-

Carmina, queis nomen veſtrum extollatur ad aſtra;
Atque ejus mirum ſplendeat eloquium.

SYRO USUALDO GREGORIO

Quum is primum ad aras facturus accederet.

SI quidquam, jucundum umquam gratumque quod eſſet,
Accidere ex ulla quivit amicitia,
Scilicet id mihi nunc plane contingit, ad aras
Dum meus hic Syrus aggreditur facere:
Cui virtus hærens lateri, & laus quæque miniſtrant,
Pura fides, & ſpes, ſanctaque relligio,
Et mores faciles, & mens exculta per omnes
Praclaras artes, & pudor ingenuus.
O faxint ſuperi, quum Chriſto operatur, & unum hoc
Mente agitat, ſocii ſit memor ille ſui,
Qui præ lætitia, dum præſens adſpicit illum,
Exſilit, & tepidas funditur in lacrymas.

AD PETRUM MARIAM BROCHERIUM

Cler. Regul. Sancti Paulli.

Quum is elegias, quæ ſecuntur, in laudem B. Mariæ Virginis italicis verſibus reddidiſſet.

Exprimis etruſco dum tu ſermone, Brocheri,
Verſiculis quæ nos luſimus imparibus:
Scilicet oſtendis tibi me placuiſſe; ſed idem
Efficis, ut mea jam non ſatis ipſe probem;
Nam quæ me invitis fateor ſcripſiſſe Camænis,
Cui placeant, tua ſi commodiora leget?

AD

AD ANIMAM B. MARIÆ VIRGINIS

In Immaculato ejus Conceptu.

ELEGIA.

O Una ante omnes, quot ſunt, pulcherrima formas,
Quas Deus in tacito verſat adhuc animo,
Exſpectata diu terris, poſtquam arbore ſacra,
Anguis tartarei femina capta dolis
Auſa eſt, heu miſeram, letale excerpere pomum,
A quo ſunt nobis omnia nata mala;
Ah ſi quid noſtri miſeret, demittere ab alto
Jam cælo, & rebus, quod potes una, hominum,
Et miſero ſuccurre orbi. quid lenta moraris?
Quin Annæ caſtum laberis in gremium?
Hic te formoſum puro de ſanguine corpus
Membraque virgineo plena decore manent.
Ac ſi te virtus & gloria tangit avorum,
Et placet antiqua nobilitate genus,
Non te pæniteat Davidis de ſemine natam
Dicier; in mediis ſit licet ortus agris.
Ille urſos fertur, fertur domuiſſe leones,
Nec Philiſtæûm pertimuiſſe minas
Tempore, quo Iſacidum turmas perterruit omnes
Unus terribili maximus ore gigas,
Qui cum totam aciem nequicquam in bella vocaret,
Ecce puer flavus prodiit in medium.
Non me, neve Deum poſthac contemſeris, inquit:
Tum fundæ prædurum impoſuit lapidem,
Quem deinde exſultans ter circum tempora volvit,
(O miros auſus!) inque feri faciem
Conjicit, & fulva Goliattem extendit arena.
Ipſe Saul tanto obſtupet in puero.
Et tibi, ſi in ſanctæ ventrem te immiſeris Annæ,
Laus erit in proavis hunc habuiſſe tuis,

Heroaſque alios illa de ſtirpe creatos,
Magnanimos reges, magnanimoſque duces,
Quos tecum recoles, materna condita in alvo,
Admirans generis grandia facta tui.
Et te laudabunt illi. gaudebit Jacob
Te ſibi vel ſeram progeniem fieri,
Agnoſcetque ſuam Rachel pulcherrima neptem.
Ah propera, & membris jungere, Diva, tuis.
Neu timeas, ne quod veteri de crimine in illis
Aut vitium, aut macula vel levis inſideat.
Nam fibras omnes cordis, cerebrique receſſus
Omnes, & ſedes atque vias animi,
Quas vetus illa lues ſolita eſt contingere, cunctas
Terque quaterque ſuis terſit Amor manibus.
Virtutumque aderat chorus: & Spes neſcia falli,
Et quæ Spem numquam non præit, alma Fides,
Quas comitabatur cælo delapſa ſereno
Gratia, ſtellanti corpora veſte tegens,
Quam ſimul ut vidit venientem letifer anguis,
In ſtygium ſeſe proripuit barathrum.
Quare age, jeſſeis laus acceſſura puellis,
Spes hominum, felix atque potens Anima,
Advenias bona jam, atque infans pulcherrima fias,
Virgo olim magno digna futura Deo.

AD B. MARIAM VIRGINEM

Naſcentem.

ELEGIA.

O Quam naſcentem primum nunc excipit orbis,
Quæ miſſa e cælo, dia Puella, venis,
Ah noſtri ne te capiant faſtidia mundi,
Sit licet antiquo implicitus ſcelere;

Nam

Nam quocumque tuos vertes, pulcherrima, ocellos,
Diffugient fraudes, diffugientque doli.
Quam bene, dum caſta mater te ferret in alvo,
Preſſiſti inferni triſte caput colubri,
Qui fruſtra in tenera culpam quæſivit Adami!
Ex illo te unam tartara nigra tremunt.
Nec tibi ſollicitæ audebunt ſe oſtendere curæ,
Quæ circum humanos pervolitant animos.
Spectandum interea magnus tibi ſe dabit orbis,
Quem mira æternus condidit arte Pater.
Aſpice, quos pariat rebus lux alma colores,
Unde ſuum accipiunt corpora quæque decus.
Illam ſol rutilus cælo diffundit ab alto,
Purpureum roſeo dum vehit axe diem,
Qui poſtquam occiduis præceps ſe condidit undis,
Succedit tacitis humida nox pedibus.
Ac tum ſtellarum juvat adſpexiſſe choreas,
Quas ducit niveo lumine luna micans.
Hanc tibi, ſi neſcis, ſimilem dixere parentes,
Natalem priſci quum cecinere tuum,
Nam claram illius faciem purumque nitorem
Contulerunt formæ, pulchra Puella, tuæ.
Sed ſi te videat, non jam ſe conferat illa;
Quamvis & ſoli certet, & aſtra regat.
Neve aurora tibi, neu ſe tibi comparet iris;
Optatum quamvis illa diem referat;
Hæc etiam terris, ut ſunt oracula vatum,
Antiquæ memoret fœdera amicitiæ.
Namque olim pluviam immenſam regnator olympi
Miſit, ut humanum perderet omne genus.
Sed cæli ſacer interpres, doctuſque futuri,
Senſit venturas ante Noemus aquas,
Et ſibi labentem fecit ſuper æquora currum;
Qui, poſtquam nimborum ille furor poſuit,
Æquoris incertus, longiſque erroribus actus
Verticibus tandem ſedit in armeniis.

C 2 *Vide-*

Digitized by Google

Viderat Omnipotens illum; nec ſit mihi, dixit,
Unam, quæ reliqua eſt, perdere velle domum,
Hanc ſervo. ſervaboque. Iris ſit mihi teſtis.
Audiit hæc Iris, & bona verba probans
Continuo mirum duxit ſub nubibus arcum,
Æterno memoret qui ſua pacta Deo.
Hunc inter nubes quam te ſpectaſſe juvabit!
Dum ſpectas; quæſo, nubila nulla tonent.
Fulgura nec, cælum, miſce; nec fulmina jacta;
Diſſolvi lentas ſit ſatis in pluvias.
At tibi ne tantum placeant, divina Puella,
Cæleſtes tractus, nubiferæque domus.
Eſt etiam terræ ſua laus. hic prata vireſcunt.
Hic pubens multo flore renidet humus.
Hic cælo ſurgens ſe frondibus induit arbor,
Qua fons irriguis gramina lambit aquis.
Nec te pæniteat, veniet quum firmior ætas,
Ardua Carmeli per juga ferre gradum,
Et procul aerias ſolymorum cernere turres.
Te cava frondoſi Thaboris hoſpitia,
Te Libani exſpectant, ſi non contemſeris, umbræ.
Sedit in his quondam maximus ille David.
Hic Salomon, dum te venientem exſpectat, amores
Eſt ſolitus teneris ludere carminibus.
Hic ſacri vates unam te ſæpe vocabant,
Mærentes, longas temporis eſſe moras.
Tunc laudes reſonare tuas & dicere nomen
Jerichus, & celſi rura beata Cades,
Et cupreſſiferi didicerunt antra Sionis.
Ah, quæ te norunt, ne loca deſpicias.
Quod ſi, Diva, oculis terram dignabere noſtram
Aſpectu fiet pulchrior illa tuo.

AD

AD B. MARIAM VIRGINEM

Se ſe in Templo offerentem.

ELEGIA.

QUo te, Virgo, rapis, pulcherrima? Siccine matrem,
(Heu miſeram matrem) deſeruiſſe potes?
Quæ te ferre ſinu, tibi quae narrare ſolebat
Tam multas priſci temporis hiſtorias?
Quid miſeræ fiet, quum tu diſceſſeris? unum
Credin' eam ſine te vivere poſſe diem?
Sic ego dicebam. Illa ſacras properabat ad aras,
Indignata hominum diva habitare domos.
Ceu globus obſcura interdum ſub nocte coruſcans
Emicat, & nubes tranſvolat aerias,
Qui turres ſuper excurrens ac tectu domorum
Omnia perfundit lumine purpureo.
Attollunt homines vultum, quid luminis id ſit
Ignari, & flammam conſpiciunt volucrem;
Aſt illa interea haud longo ſecat aera curſu,
Et ſubito ſe ſe proripit ex oculis.
Haud aliter, superûm dum vult inviſere ſedes,
Concita divino numine Virgo abiit.
Excepit Deus ipſe illam, de limine templi
Obvius, inque domo condidit ipſe ſua.
Anna parens, teneræ curam jam pone puellæ.
Terge oculos. te cur amplius excrucias?
Si neſcis, nunc illa boni præcepta magiſtri
Audit, perque artes excolit ingenium.
Et ſtudium eſt illi aut ſacros exſcribere libros,
Et minio primas fingere litterulas,
Aut annos numerare, & nomina diſcere regum.
Poſtea quæ ſervat pectore ſub memori,
Et modo ut Omnipotens mundum formaverit, utque
Peccarit vana conjuge falſus Adam,

Accipit, & miſeræ fortaſſe iraſcitur Evæ.
O Eva infelix, quod tibi conſilium,
Quæ ratio fuit, ut funeſtum carpere pomum
Velles, & caro porrigeres juveni?
At tu, Virgo, genus licet illa infecerit omne,
Ignoſcas; non te dira lues tetigit.
Nos miſeri urgemur fato, nobis ſcelus illud,
Et mors, & luctus cum ſcelere incubuit.
Qui tamen ut ſumus, annales ne deſpice noſtros;
Volvere neu libros tædeat Iſacidum.
Invenies illic, veterum dum facta parentum
Colligis, atque tuos ſedula quæris avos,
Quam multæ extiterint noſtra de ſtirpe puellæ
Præſtantes forma, & pectore magnanimo.
Sed neque te Rachel, fidum quæ torquet Iacob,
Nec quæ jura ſuis Debora dat populis,
Nec te detineat Iahel, nec fortis Iudith,
Sit quamvis cæſo nobilis Aſſyrio:
Invenies aliam, quam poſt volventibus annis
Venturam vates præcinuere ſacri,
Quæ ſtellas ante & ſolem lunamque creata,
E cælo veniet miſſa Deo mulier,
Præclaram ut pariat ſobolem, & ſcelus expiet Evæ.
O felix! quantum ventre geret puerum!
Huic uni aſſurges, atque hanc veneraberis unam,
Omnibus hanc unam matribus anteferes,
Dignam, cui placida Iordanus ſerviat unda,
Aurea cui dives munera mittat Ophir.
Dum tamen hanc legis, ah nati ne funera quære.
Hei mihi, quos luctus continet ille locus!
Neu cupias, ſi quem miſere & poſt verbera longa
In cruce ſuffixum forte legas juvenem,
Infandum ſcelus, & crudelia diſcere facta.
Quære illos potius, pulchra Puella, dies,
Quum tumulo ſurgens divinæ Matris alumnus
Regnabit tandem victor in arce ſua,

Et

Et clauſtra umbrarum franget, domitique draconis
Infiget cæli poſtibus exuvias.
Tunc ſibi ſtellanti cinget diademate frontem
Mater, & incedet maxima cælicolûm.

AD B. MARIAM VIRGINEM

Ab Angelo ſalutatam.

ELEGIA.

NAm quid te rerum, Virgo pulcherrima, terret?
Quid ſubitus tacito pallor in ore ſedet?
Quem ſpectas, qui te alloquitur, tibi miſſus ab alto
(Exue dia metum) nuncius Ales adeſt.
Is levibus pennis tranavit nubila cæli;
Et verbis magni te rogat ille Dei.
An votis igitur, & ſpe fruſtratus inani
Mæreat, inque domos cælicolûm rediens
Non potuit, dicat, Virgo puriſſima flecti,
Non potuit. voces reſpuit illa meas?
At non hoc Abraham, non hoc ſperavit Iacob:
Non tuus ille David, quem ceciniſſe ferunt
Olim ieſſea venturam e ſtirpe puellam,
Quæ fama una omnes vinceret Iſacidas,
Communem humano generi paritura ſalutem.
Omnia quæ perdant diripiantque noti,
Cæleſti ſi tu puero parere recuſas.
At, ſanctus pulchræ virginitatis honor
Te capit. An virgo non tu ſervabere? Quod ſi
Spes eſt vana: rubum quid mihi vel Moyſis,
Quid mihi vel narrant Gedeonis nobile vellus?
Ah, Virgo, ætherio adnue iam puero.
Adnuit: & roſeos vultus, oculoſque modeſtos
Demittens, ut vis, ſic mihi fiat, ait.

Quod ſimul ut dixit, magno concuſſa fragore
    Mœnia ſunt mundi. iam Deus ecce Deus
E cælo ruit, & ſanctos illabitur artus;
    Ac dum ſe ſe utero miſcuit Omnipotens,
Concepit ſacrum Virgo ſine ſemine fetum.
    Natura id fieri ſenſit; & obſtupuit.
Non ſecus atque olim audita quum voce Tonantis
    Obſcuris ſubito e latebris nihili,
Miratus formam ipſe ſuam, novus exſtitit Orbis.
    Ac viſæ primum tunc pecudum facies
Per ſolos errare agros, pictæque volucres
    Ignotis nidum ponere in arboribus.
Et iam ſol rutilus magno incedebat olympo:
    Volvebant ſe ſe ſidera in oceanum.

DE B. MARIA VIRGINE

Eliſabetham viſente.

ELEGIA.

HÆc igitur iuga, & hos ſcabros conſcendere montes
    Audeat ignotas Virgo ſecuta vias!
Atqui illa nec candidior neque mollior ulla eſt.
    Et nova virgineo pondera fert utero.
Nam modo, quum vis illi inſederit Omnipotentis,
    Ipſe Deus caſtum ſe intulit in gremium.
Tu, Gabriel, tu nempe auctor, tu cauſa laboris:
    Qui ut caræ venter creverit Eliſabeth,
Narraſti ignaræ. tunc illi iniecta cupido eſt,
    Ut longe abſentem viſere vellet anum.
Quanti erat id reticere! en ut ſtudioſa abeundi
    Jam patitur nullam pulchra puella moram.
Ah illi, o cunctos inter pulcherrime divos
    Magne Ales, longæ ſis comes uſque viæ.

Et

Et quacumque ierit, teneram defende puellam,
Ne ſol, ne capiti frigida nox noceat,
Neu ſerpens, neu quis morſu canis appetat illam.
Ac nimium, ſuperat dum iuga, ne properet,
Iniice ſermones iucundos inter eundum.
Scis tu, virgineum quæ capiant animum.
Forſitan ut notum decus oris viderit, & te
Aligeris unum noverit e pueris,
Ipſa rogans quæret, quid agatis in æthere ſummo,
Ut ſua traducant tempora cælicolæ.
Tu nil celabis: mores & munera divûm
Narrabis; regnum noſcat ut illa ſuum.
Scire etiam volet, interea dum montibus altis
Ipſa errat, rerum quid gerat Eliſabeth:
An neat, an pulchro variet velamina textu,
An potius libros, ut ſolet, illa legat;
Adventumne ſuum ignoret, an nuncius illi
Sidereis de ſe venerit e domibus.
Ipſa quidem agnatæ, dum mollia ſtamina nectit,
Ex improviſo mallet adeſſe ſuæ;
Quæ ſubito adventu caræ perculſa puellæ
Protinus excuſſo proſiliet calatho.
Dum ſe ſe amplexu excipiunt, atque oſcula miſcent,
Nec bene compreſſis ora rigant lacrimis,
Ah tu ſermones iam, Gabriel, inſere nullos.
Altera ab alterius pendeat alloquiis.

AD

AD B. MARIAM VIRGINEM

De ejus Partu.

ELEGIA.

QUam pulcher de te, bona Virgo, prodiit infans!
Diſpeream, ſi quid pulchrius eſſe poteſt.
Quam ſimilem, ſi te videas, tibi dixeris eſſe!
Purpureas, ut tu, ſic habet ille genas,
Os movet, & blandos, ut tu, convertit ocellos.
Ah quæ tam pulchrum, diva parens, puerum
Edideris, ſcabro non te peperiſſe ſub antro
Tædeat, immundi neu pudeat ſtabuli.
Auguror. hoc toto ſtabulum celebrabitur orbe;
Jamque in memnoniis nomen habet domibus:
Jam veniunt (audiſtin' equos curruſque ſonantes?)
Magnanimi veniunt, qui tibi dona ferant,
Primores arabum, & rupem hanc ſtabulumque requirunt.
Scilicet & ſeris munera temporibus.
Innumeri huc mittent populi: & quos maximus iſter
Alluit, & qui atheſin eridanumque bibunt.
Eventura cano. en ſacris deiecit ab aris,
Et veteres ridet maxima Roma Deos,
Et verum agnoſcens divûmque hominumque parentem,
Natalem ſancti concelebrat pueri.
Aſpice, ut imponit ſimulata altaribus antra,
Addit & e paleis effigiem ſtabuli,
Bethlemiaſque colit rupes ſub imagine parva:
Stat circum affuſi maxima vis populi,
Arrectaſque piis præbet ſermonibus aures,
Quos recitat pavidus mente puer memori.
Quam multi interea præſtanti carmine vates
Naſcentem certant tollere ad aſtra Deum!
Fallor, an arcadio veniens ab litore turba
Neſcio quæ ripis ſedit in auſoniis?

Quæ

Quæ ſibi Saturnum quemdam, campoſque beatos
Fingit, & Evandri ſe putat eſſe genus;
Ac ſibi dum pingues meditatur verſibus agros,
Thybridis in viridi litore paſcit oves.
Thybri pater, parvam, quæſo, ne deſpice gentem:
Rege ſub Evandro tu quoque parvus eras.
Tuque adeo, magni reſeras qui limina olympi,
Cæleſtumque ſedes ianitor ante fores,
Regia quem Ditis metuit, cui ſidera parent,
Lambertine, tuo numine dexter ades:
Laus eſt felſineo tibi maxima ab Idice; ſurget
Et tibi ſervata nomen ab Arcadia.
Hæc quoque tempus erit (præſens modo faveris illi)
Annua cum ſacro vota feret puero.
Et matris magnæ in laudes dum mollia flectet
Carmina, & alternis ludet arundinibus,
Septem romani reſonabunt undique colles.
Felices colles, quis mihi iam Sinaim.
Quis mihi frondoſi memoret iam culmina Orebi?
Vos ego vel Libani præfero verticibus.
Salvete, o colles ſancti; ſalvete, receſſus
Cælitibus ſacri, fluminaque, & nemora,
Grata Deo ſedes. At quæ quæ nomina veſtris
Paſtor neſcio qui ſculpſit in arboribus?
Hic mihi quid Nemeſis legitur, quid candida Phyllis,
Lesbia quid flavis conſpicienda comis?
Cur fugiens illic narratur Delia, Mœris
Quam ſequitur, ſervat dum Melibæus oves?
Ah iſtos verſus, iſthæc iam nomina ſacris,
Arcades, ab ſacris demite corticibus.
Scribite in his Puerum, quo non formoſior alter,
Non fuit in terris alter amabilior;
Seu placidus blandos ſopor illi operiret ocellos,
Seu matris caſto luderet in gremio.

IN

IN B. MARIÆ VIRGINIS

Purificationem.

ELEGIA.

Quum patrias ſe ſe Virgo purgaret ad aras;
Cæleſtem Virgo quæ peperit puerum,
Et geminas priſco gentis de more palumbes
Ferret, &, en purgo me tibi, magne Pater,
Diceret; ipſe Deus cælo ſubriſit ab alto.
Nam quid purgari te, bona, opus fuerat?
Non tecum hoc pulcher pepigit iam Gabriel, eſſet
Ut tibi perpetuus virginitatis honor?
Sanctus ab intacta tibi non puer exiit alvo,
Quum te virginei nobile ventris onus
Ponentem ſcabro ſtupuit natura ſub antro?
Plauſerunt omnes tunc tibi cælicolæ.
Nam veluti ætherias ubi lux diffuſa per auras,
Quam verſat roſeo ſol pater e gremio,
Obiecti impellit ſplendentia corpora vitri,
Aut pellucidulæ lene fuentis aquæ
Perfacili ſe ſe tranſmittit tramite; at illa
Nil penitus mutant, & ſine labe manent.
Miratur dubius rerum ſcrutator, & hæret,
Nec bene ſcit, qua lux candida tranſierit,
An ſolidas vitri quod partes permeet ipſas,
An potius vacuis lapſa foraminibus.
Sic Puer omnipotens quum ſe producere vellet,
Evaſit caſto Virginis ex utero.
Iſta quid huc igitur ſpectat purgatio? non hanc
Conſtituit Moyſes, hanc tibi non Abraham.
Sed quid ego hæc loquor? Illa ſacri iam limina templi
Occupat: æratas iam ſedet ante fores:
Jam reliquis miſcet ſe matribus. en prece quanta
Se purgat, ſanctis non ſine muneribus!

Ah

Ah matrem dimitte, & munera redde, ſacerdos.
Exſtitit a partu purior illa ſuo.

DE B. MARIA VIRGINE

Juxta Crucem ſtante.

ELEGIA.

Siccine te duro pendentem e ſtipite, & atro
Undique manantem ſanguine conſpicio,
Mundi Rex & cunctarum ſator optime rerum?
Nec tua, nec magni gloria magna Patris
Te movit, tantam ut velles avertere cædem?
Nec tibi ſollicitæ Matris amor ſubiit?
Quæ nunc quanta imo ſuſpiria pectore ducit!
Ut tergit nivea lumina ſæpe manu!
Et mortale genus tanti fuit? ah quid Adamum
(Sit noſtri quamvis ille parens generis)
Educi e nihilo, vanam quid oportuit Evam?
Ut nempe antiqui neſcia quæ ſceleris
Una fuit mulier, puriſſima quæ fuit una,
Hanc premeret tantus, obrueretque dolor?
At non hoc miſeræ quondam promiſerat Ales,
Qui ſuperis illi nuncius e domibus
Non exſpectati prædixit gaudia partus.
Qualia tum cecinit regna, quot imperia
Protulit? hoc illi eſt regnum; ſic imperat aſtris.
Nunc natum, quem unum ſemine ab æthério
Ventre pio excepit, natum, quem diligit unum,
Suffixum duro in robore, ſemianimem,
Confectum plagis videt, atque immobilis hæret.
At vos, o comites, (nam quid opus lacrimis?)
Vos, fidæ comites, quin hinc abducitis illam?
Crudeli ne igitur victa dolore cadat,

Ipſa

Ipſa ſui ſpectans crudelia funera nati?
Felix, cui dudum contigit oppetere,
Quem non his fortuna malis ſervavit, Ioſeph!
Quamvis ille gravem pauperiem tulerit,
Ærumnaſque incredibiles, longoſque labores;
Quamvis & nato & coniuge eum tenera,
Immitis fugiens odium crudele tyranni,
Exul, inops terras iverit in pharias;
Non hæc dira tamen, non hæc tam immania vidit.
Nunc inter manes pervolat ille pios.
At tu, curarum quamvis abſorbeat æſtus
Immeritam, & tantis fluctibus abripiat,
Sume animum, Virgo. Non hæc ſic ſemper abibunt.
Hic iam, quem ploras, Filius, hic erebum
Jam petet, invictuſque animi, & virtutibus ingens
Diffringet regis limina tartarei.
Quas ſtrages edet, quæ funera; dum ſua mittet
Sub iuga tænariæ robora militiæ!
Non nequicquam illi pater eſt, qui ſidera torquet.
Aſt nulla attactas labe, pias animas,
Fatidicos vates centum, centumque potentes
Bello armiſque duces; ingenuos pueros
Ingenuaſque nurus centum, caſtaſque puellas,
Sanguine quum totas ipſe ſuo abluerit,
Educet tenebris tandem, & ſecum inferet aſtris.
Hæc tecum, quid fles? hæc memorare iuvat.
Aſpice, ut aurato iam iam ſuccedit olympo
Victor, ut exſultans iam ſua regna tenet.
O quot pennigeri iuvenes comitantur ovantem!
Quos cantus edunt! quas agitant choreas!
Qualis per medios quantuſque incedit Ioſeph!
Ne dubita. non eſt immemor ille tui.
Quamvis aſtra premat, quamvis ſplendore coruſcans
Immenſo, ſua iam gaudia vix capiat,
Te tamen exſpectat, te quærit, te vocat unam,
Et penitus toto diligit uſque animo.

Eia

Eia igitur, Mulier, cælo dum tanta parantur
Gaudia, dum ſuperûm te domus alta manet,
Tu perſta, & caſus omnes obnitere contra,
Utque facis, perfer pectore magnanimo.

DE B. MARIÆ VIRGINIS

Obitu ejuſque in Cælum ingreſſu.

ELEGIA.

SCilicet hunc etiam luctum exſpectabat Iudas,
(Pro genus infelix!) has etiam lacrimas,
Ut quæ ieſſeas inter pulcherrima matres
Ibat, cæleſtis magna parens ſobolis,
Hac etiam amiſſa & crudeli funere merſa,
Funere, quo nobis omnia ademta bona,
Thaborides flerent, flerent Libanitides omnes?
O nata iſacidum natio ad omne malum!
Quid ſi illam primi labes tetigiſſet Adami?
Iraſcor culpæ iam minus, Eva, tuæ.
At fertur magno regina incedere olympo,
Credo equidem, & vita iam meliore frui;
Et regni nunc forte ſui cognoſcere fines
Gaudet, & eoos viſere & heſperios,
Stellarum mores varios & nomina diſcens;
Sive placet, Michael, caſtra videre tua,
Teque audire, tuas dum luſtrat diva cohortes,
Narrantem iuvenum prælia pennigerûm:
Namque olim eſt auſus cælum obſidione tenere,
Et ferre in magnum Belzebub arma Deum.
O quas tum clades, quantas egiſſe procellas
Cæleſtum fertur lecta manus iuvenum!

Quæ

Quæ Michael divæ nunc forte ex ordine pandit,
Oſtenditque locos; utque ſuas acies
Moverit, & monſtrum tandem exturbaverit aſtris.
Vultu illa atque oculis grandia facta probat,
Et ſpolia e ſumma pendentia ſuſpicit arce.
An, dum illi hæc narrant, templaque cælicolûm,
Fulgenteſque domos, & vaſti limen olympi
Spectat, Iudeæ ſit memor illa ſuæ?
O utinam, veteris repetit ſi opprobria culpæ,
Non etiam humani pœniteat generis.
Ah ne forte, illi ſi quando occurrerit, Eva
Fallacis memoret inſidias colubri,
Infandam pueri neu cædem narret Abelis.
Illinc humanum dedecus omne venit.
Felices illi, quos omni labe ſolutos
In ſedes Chriſtus tranſtulit ætherias,
Impia quum ſtygii perfregit clauſtra tyranni!
Scilicet his pompas, Virgo, videre tuas,
His voces audire datur, datur ora tueri.
Nos miſeri hic vanis conficimur lacrimis.
Jam quid ego inviſis aut cur his demoror oris?
Quid mihi iam vita hac triſtius eſſe poteſt?
Ah ferar in cælum; ſeu me nimboſus orion,
Sive ſuis hyades excipiant domibus.

JOANNIS ANTONII VULPII
AD FRANCISCUM MARIAM ZANOTTUM.

ELEGIA.

Qualis, ut accepit ſperatæ pignora formæ
  Regius ignoto flagrat amore puer:
Et nondum viſæ fingit ſibi conjugis ora,
  Naufraga quam ſævi diſtinet unda freti:
Perditus & pictæ blanditur ſæpe tabellæ,
  Et dolet ingratos tardius ire dies;
Talis ego, abſentem dum te complector, amice,
  Qui mihi de ſolo cognitus ingenio es,
Multa interiectis facio convicia terris,
  Et ſtudeo vultus mente videre tuos.
Nulla mihi dulcem quæ ſervet cera figuram;
  Nec ſolido carum vivit in ære caput:
Qui tamen æterno poſſit certare Catullo,
  Sæpe tuus noſtra verſus in aure ſonat.
Hic & Apelleas, & vincit Mentoris artes:
  Hunc taciti fruſtra temporis arma petent.
Tu quoties parvi tractas prope flumina Rheni
  Auditam ſaxis arboribuſque lyram:
Et laudas tremulos dominæ ridentis ocellos,
  Quæque nitet roſeis purpura fuſa genis;
Certatim denſo prætexunt agmine ripas
  Najades, & circum candida turba ſedet.
Suſtinet ipſe ſuos curſus jam ſegnior amnis,
  Inviſoque pedem torquet ab Eridano.
Quam iuvat humenti corpus demittere in herba,
  Atque inter faciles plectra movere deas!
Negligit hæc ſtrophio molles vincire papillas,
  Hæc aperit niveum veſte fuente latus.
Illa placet flavos nodo collecta capillos,
  Huic incompoſitas ventilat aura comas.

Felix, quem teneris commendat Muſa puellis:
Cui non alterius ditior arca nocet!
Nimirum ſapiunt, & fama teſte probantur,
Carmina divitiis quæ potiora putant.
Quid foret Andromede, quid falſo vecta juvenco,
Aut quid pennigero Tyndaris orta Jove,
Aurea ſi veterum ſiluiſſent carmina vatum?
Deficit, & nullo vindice forma perit.
At mecum immitis quererer dum facta Lycinnæ,
Flerunt & montes, & nemora, & dryades.
Illa tamen lacrimas ridebat ſæva dolentis,
Terrebatque novis me violenta minis.
Nunc merito contemta jacet; vinclíſque ſolutis,
Prætereunt noſtri tecta ſuperba pedes.
Nunc me femineos fudiſſe ad limina queſtus,
Nunc pudet ad clauſam ſerta tuliſſe domum.
Et quæ mendaci texebam carmina laude
Ignis habet. Chartis excidit illa meis.
Quam celebret, mediis leporem qui captat in undis,
Et ſubigit valido litora ſicca bove.
Jamdudum blandi nugas oblitus Amoris,
Debueram paphiæ ponere vota deæ.
Fugit enim choreis, & luſibus aptior ætas;
Vicimus: in gelido ſtat mihi corde ſilex.
Dum me prima novo veſtiret flore inventa,
Perſpectus miſero nec ſatis eſſet amor,
Mirabar crines, & lactea colla puellæ,
Quidquid & incautos ducere fraude ſolet.
Sed velut irrigui per mollia gramina prati
Noxia mortifero vipera dente ſubit;
Sic inter placidos vultus, cantuſque, iocoſque,
Compoſitos didici ſæpe latere dolos.
Vos ego nunc moneo, ſimilis quos decipit error;
Tendite maturæ carbaſa veſtra fugæ.
Nec promiſſa fides, circumfuſique lacerti,
Nec moveant querulo dulcia verba ſono.

Et

Et majora loquar: non ſemper credere tutum eſt;
Triſtia cum lacrimis ora ſinuſque madent.
At tibi ſi qua pia eſt, nec moribus uteris iſtis,
Perſolvat læta præmia fronte Venus.
Carior eſt gemmis, & fulvo carior auro,
Quæ mulier cupido fida reperta viro eſt.
Scilicet huic noſtri ſtatuunt monumenta libelli:
Hanc adimit ſummo fama benigna rogo.
Penelope vivet, longæ quæ ſtamine telæ
Reppulit inſtantes nupta ſevera procos.
Vivet Hypermneſtre duras exoſa ſorores,
Quæ timuit ſponſi tingere cæde manus.
Eheu quam rigidas exemplis obſerat aures,
Et tantum ſceleri perfida turba favet!
Quod ſi certa tuis precibus contingat amica,
E qualem raro ſæcula noſtra vident;
Pone, memor Veneri pario de marmore ſignum,
Franciſce, & meritis da pia thura focis.
Tunc tua magnificis præſtet fortuna triumphis,
Nec tibi malueris, quas habet Indus, opes.
Tunc mihi plena mei venient ſolatia caſus.
Tu modo ne tacito gaudia conde ſinu.

JACOBI BASSANI

Ad ornatiſſimum Juvenem

FRANCISCUM MARIAM ZANOTTUM

Quum is Philoſophiæ Laurea donaretur.

ELEGIA.

Si miſerum & gravibus diſcerptum pectora curis,
Quas fovet indecori pondere triſte jugum,
Me fortuna pio complexum vellet amore,
Meque ſuum proprie delicium efficeret;
Si vel dardanios, quos egit Atrida, triumphos
Mi pareret, vel opes regnaque & imperia;
Si famam ac titulos grandeſque afferret honores,
Quales quotque ſuis Roma vetus dominis:
Non tam his rebus lætarer, nec fronte ſerena
Divæ inconſtantis; quam erigor ac recreor
Hoc Franciſce die, quem candidiore lapillo
Ipſa notare ſuis Pallas avet manibus.
Ille dies hic eſt, quo lauſque ingenſque virorum
Mercurialium honor Laurea danda Tibi.
Geſtiat ipſa tuam frontem præcingere: poſthac
Non tua frons, ſed erit Laurea nobilior.
Ut clarum poſtquam conchylis purpura regem
Texit, & auguſtos fluxit ad uſque pedes,
Huc paſſim atque illuc volvens fluitantia late
Syrmata, diſtentos laxa ſinus aperit;
Illam ſuſtentant proceres, manibuſque laborant
Ne qua recedentis fimbria tangat humum.
Vera cano: ſic me Dii ament; ſic docta benigno
Verſus hos vultu Felſina reſpiciat.
Nam ſi cui Sapientiæ Amor decora ampla mereri,
Aut pretium & nomen grande creare poteſt:

Tu

Tu Franciſce ille es, quo mentem ac pectora pleno
Artium acutarum & ſocratici ſtudii
Mox Patria & patrium poterit forere Lyceum:
Quantum non Samio Græcia Magna Sene.
Etſi circumeuntem ac diſcere cuncta volentem,
Ex oris poſtquam ceſſerat Imbraſiæ,
Illum exceperunt Ægyptus, & alta deincep.
Urbs Beli, & Sparte, Gnoſſiacique lares;
Nec patriam amplius eſt paſſus contingere terram,
Nec Mneſarcheæ limen adire domus,
Quum vis formidata, malæque Polycratis artes
Jura malo premerent civica ſervitio;
Sed procul aufugiens regnumque atque ora Tyranni
Hoſpes in extrema conſtitit Italia.
Non Tu illi Franciſce, neque ulli cedere docto
Crederis, quum Te turba frequens cupide
Audiet omnia Naturæ arcana enucleantem;
Vel Diſciplinæ certa Syracuſiæ
Tradentem præcepta; ac Terram, omneſque parantem
Metiri Cœlos, aeriaſque plagas;
Sive imbris pluvii, ſeu puræ pondera flammæ
Senſim inveſtigantem, aut minima in minimis.
Puta Stagireæ nec enim myſteria Sectæ,
Nec quidquid Schola nos utilior docuit
Poſtrema hac ætate, Tibi exhauſiſſe beatis
Fontibus, atque alios poſſe docere ſat eſt.
Sed velut a nivibus tepido ſub vere ſolutis,
Quum Phryxi auratus portitor annum aperit,
Alluvione tumens exundat corniger amnis,
Alveumque ac ripas exſuperare ſolet,
Quinetiam undiſono præceps agitur decurſu,
Et pecus atque domos abripit & nemora:
Sic tua mens egreſſa vadis, quibus una facultas,
Alteraque occluſa eſt, atque alia, atque alia;
Ingenii procul impellens undeundique flumen,
Pergit ἐπιστημῶν omne genus rapere.

Illa

Illa etiam, Deus alta facit cui nomina, veſtri
Hunc atque illum annum cura fuit ſtudii:
Scrutandoque æternum auſus perquirere Numen,
Illius inſpexti mentem animi atque opera,
Lucis inacceſſæ pelagus, denſiſſima longe
Fulgura, divinum queis micat uſque jubar.
Tantum in Te potuit doctrinæ immenſa cupido,
Tantum Te felix extulit ingenium!
Præterea hiſtoriæ, & quidquid pretioſa vetuſtas
Condit, inexhauſtæ ſunt Tibi mentis opes.
At varius linguarum uſus, quodque eſſe videtur,
Atque eſt in re illa pulchrius & melius,
Nimirum græcique ſales, latiique lepores,
Necnon & tuſcæ flos venerum veneres,
Ut laudum cumulos augent! ut nobile certant
Nobilitare magis ingenium atque magis!
Quid memorem ſuadendi artes, citharaſque canoras
Muſarum, aut ſi quid dulcius eſt citharis?
Dicis enim haud ſecus ac primores oratorum;
Et, quam belle vatum optimu' quiſque, canis.
Nec grandi tecum eloquio contendere quiſquam,
Nec quiſquam aoniæ ſuſtinet arte lyræ.
Oh utinam lecti juvenes, quos Felſina docto
Excipit haud umquam deſidioſa ſinu,
Oh utinam infidæ Lalages, triſtiſque Neæræ,
Aut non flectendæ Chloridos immemores,
Hæc ſtudia, has artes, decus immortale juventæ,
Non alio verſis excolerent animis.
Quam lætos caperet res olim publica fructus!
Quam locuples ipſis adjiceretur honor!
At monſtrant exempla viam; contendite qua vos
Inclyta Franciſci gloria prægreditur.
Nam plures Urbs hæc præclara viroſque ſeneſque,
Exemplar vobis unde petatur, habet:
Sed, ſi de juvenum propria ſit laude loquendum;
Quanti hic, haud tanti Felſina tota mihi eſt.

Sis

Sis felix Franciſce: Tibique, iſtoc in honore,
Fortunam detur vincere & invidiam.

INDEX CARMINUM.

Nota *

ſignificat carmen, cui appoſita eſt, ceteris, quæ in altera editione legebantur, adjunctum eſſe.

BAſſane, o lepide, eleganſque amice. 26
Cum me per varios agerent fata aſpera caſus. 22
* *Dum te, Virgo, tenent ſummi penetralia Veri.* 28
Dum tua, Sancte Senex, agitantur feſta per agros. 27
Ergo ego, cum patrios numquam liquiſſe penates. 25
Etſi animum ſubito perculſus funere amici. 6
Etſi me variæ rapit inconſtantia ſortis. 1
* *Exprimis etruſco dum tu ſermone, Brocheri.* 31
* *Hæc igitur juga, & hos ſcabros conſcendere montes.* 40
Humanas ne ergo fallant ſic omnia mentes. 19
Me ne igitur vanæ ſemper ſervire puellæ. 5
* *Nam quid ego extremam vitæ hujus demoror horam.* 28
* *Nam quid te rerum, Virgo pulcherrima, terret.* 39
Non potero, Ghedine, hujus meminiſſe diei. 24
* *O quam naſcentem primum nunc excipit orbis.* 34
* *O una ante omnes, quot ſunt, pulcherrima formas.* 33
* *Quam felix cœlo, quam læta dies fuit illa.* 30
* *Quam pulcher de te, bona Virgo, prodiit infans.* 42
Quamquam phæbæa præcingor tempora fronde. 26
* *Quid credam, o Superi, nunc dum cæleſtia regna.* 29
* *Quid me, Zamperi, miſerum compellis & ægrum.* 30
Quid vobis faciam, mei libelli. 24

Qui

Qui primum prono terræ æquora findere aratro. 9
Quod ſcribis, Morgagne, ſatis placuiſſe, quod ad te. 2
* *Quo te, Virgo, rapis, pulcherrima? Siccine matrem.* 37
* *Quum patrias ſe ſe Virgo purgaret ad aras.* 44
* *Scilicet hunc etiam luctum exſpectabat Iudas.* 47
* *Siccine te duro pendentem e ſtipite, & atro.* 45
* *Si quidquam jucundum umquam gratumque quod eſſet.* 31
Ultima dum properant Koſtkæ jam fata, neque ulla. 27
Vulpi, cui gelidum Pindi nemus, & loca Phœbo. 15

Vidit D. Placidus Rambaldi Clericus Regularis Sancti Pauli, & in Eccleſia Metropolitana Bononiæ Pænitentiarius pro Eminentiſſimo, ac Reverendiſſimo Domino D. Vincentio Cardinali Malvetio Archiepiſcopo Bononiæ, & S. R. I. Principe.

Die 13 Septembris 1757.

IMPRIMATUR.

Fr. *Petrus Paullus Salvatori Vicarius Generalis Sancti Officii Bononiæ.*

3787155 A